



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 1. Nomen Hipaniae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

CAPVT PRIMVM.

De Hispania recentiori in genere.

§. 1. *Nomen Hispanie.*

LICET Hispania varios subinde sit experta dominos, & Bar-
barorum prædæ patuerit sæpius, eorum tamen non accepit
nomen, vt Anglia, & Francia, nisi fortè in quibusdam partibus
vt *Andaluzia*, & *Catalania*, vt mox dicetur.

§. 2. *Quantitas Hispanie.*

LONGITVDO eius maxima desumitur à Pro. *Sancte Crucis* ad
Prom. *Finis terra*, quæ distantia ad Sphæram reuocata, dat vnde-
cim gradus maioris circuli, ac proinde 660. M. passuum.

Latitudo, consideratur à *Freto Gaditano* ad Prom. *Ortegal*, ad to-
tos octo gradus porrecta, qui reddunt 540. M. P.

Circuitus paulò maior definitur à Marianalib. 1. Nam à Crucis
Prom. ad primas *Freti fauces* numerat 1080. M. Pas. Hinc ad ca-
put *Finis Terre* 904. M. P. Inde ad fines Francicos 535. M. P.
Nunc verò nautæ à Pro. *S. Crucis*, ad Pro. *Martini* 270. M. P. Hinc
ad Prom. *Gates* 240. M. P. Exinde ad exteriore fauces 210 M. P.
qui numeri simul ducti reddunt 720. M. P. A fauci bus autem ad
Pro. *S. Vincenty* 160. M. P. Hinc ad Pro. *Sintri* 120. M. P. Inde
ad Pro. *Finis Terra* 400. M. P. Summa huius lateris 680. M. P.
Denique hinc ad *Fontarabiam* 390. M. P.

§. 3. *Qualitas Hispanie.*

QVIBVS DAM in locis mirè fertilis, quibusdam sterilis supra
modum; ita se hic prodigam, aut nouercam natura præbet. Fert
fructus admodum suaves vt pote magis excoctos: atque ita quan-
diu suppetit Hispanis frumentum natuum, nostrum fastidiunt,
panisque hic quām apud nos saporis exquisitoris. Vina Hispanica
per totam Europam, imò orbem distrahuntur. Minio iam diues
vt olim, item auro, & argento, cuius metallicæ 500. numerantur,

Mm iij